DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
HAEMORRHAGIIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME OBTINENDIS
IN
CELEBERRIMA C. R. ACADEMIA
MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA
PUPLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT
EDUARDUS LAUTNER,
Bohemus Nepomucensis
Medicus castrensis.



In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Julii 1843.

VIENNAE.
TYPIS JOSEPHI LUDWIG.

Wem die Heilkunst nicht zur Religion wird, dem ist sie die trostloseste, mühseligste und undankbarste Kunst auf Erden.

C. W. H.

PATRI OPTIMO

IN AETERNAE GRATITUDINIS ET VENERATIONIS

MONUMENTUM

IMBECILLES HASCE LABORUM PRIMITIAS

OFFERT

gratissimus Filius.

Notio.

Haemorrhagia αἷμα sanquis, ῥήγνυμι rumpo) (haemorrhoea αἷμα, ῥέω fluo) est abnormis effusio sive sanquinis, sive fluidi sanquini similis*) extra vasa, hinc extravasatum.

Haemorrhagia est status morbosus elementaris, multis morbis symptoma, formalemque expressionem eorum localisationes sistit, uti sunt: exsudatum haemorrhagicum qua symptoma inflammationis, haemorrhagia scorbutica. Haemorrhagia non est morbus idiopathicus, sed semper sequela, effectus morbi alius. Haemorrhagiam congestivam prae ceteris speciebus morbum idiopathicum perperam insignies, nam ex nomine jam patet, congestionem esse morbum fundamentalem, haemorrhagiam vero sequelam symptomaque ejusdem.

Character physiologicus.

1. Nulla non fere corporis pars fons et sedes effusionis haemorrhagiae esse potest.

Eo autem facilius sanquinis effusio oritur:

a) quo ditius sanquine et vasis organon quoddam est

b) quo laxiori organon textura gaudet, et quo magis tenues reperiuntur ejus vasorum parietes.

c) quo magis ipsum irritamentorum externorum aditui patet, uti: nares, pulmo, intestina.

d) quo crebrius in statu physiologico sedes congestivi status esse solet, uti: uterus.

---

*) Persaepe enim extravasatum altera alterave partium sanquinem constituentium privatum est, ita ut jam pars fibrosa, jam globularis (Haematin) abesse possit, quum fluidum effusum non raro nil nisi serum cruore tinctum exhibeat.

Oritur itaque haemorrhagia creberrime:

a) In tela mucosa, propter abundantiam vasorum, laxitatem texturae, permeabilitatem vasorum capillarium, ob breviorem viam eorumdem ad membranarum mucosarum superficiem, ob ipsarum actione secretitia ad turgescentiam et congestionem productam proclivitatem.

Quae haemorrhagiae, quia plerumque in superficiem exinde extus sanquinem mittunt, liberae dici consueverunt. *)

b) Telis mucosis, quoad frequentiam haemorrhoearum proxime accedunt parenchymata imprimis organorum secretioni dicatorum, uti sunt: pulmones, uterus, hepar, renes.

c) Accedit cerebrum, praecipue in illis partibus, ubi rete capillare densitate excellit, ideo in basi, in plexubus vascularibus.

d) Raro nec tamen nunquam, membranae serosae, pericardium, pleura, membrana vaginalis testium, rarius adhuc membranae synoviales haemorrhagiis corripiuntur.

e) Denique etiam stratum cellulosum subcutaneum et submucosum haemorrhagiae sedes esse potest. Has haemorrhagias parenchymatosas, interstitiales et cavorum dicere solemus.

Nisi laesiones vasorum haemorrhagiae causa fuerint, semper systema capillare (hinc nec arteriae, nec venae) propria ejus sedes habeatur. **)

---

*) Affirmatum est, haemorrhoeas in illis potissimum organis contingere, quorum secreta quoad mixtionem sanquinis indoli quam proxime accedunt, Hoc tamen nonnisi de utero valere videtur; pulmonum, ventriculi et intestinorum, ubi tamen sanquinis effussiones quam creberrime occurrunt, secreta indoli sanquinis minus respondent ac lac muliebre, quin haemorrhagiae mammarum frequentes observentur.

**) In haemorrhagiis secretitiis omnis sanquis e vasis promanat capillaribus. Arteriae et venae tum solum sanquinem effundunt, quum laesae fuerint, hinc haemorrhagia arteriosa et venosa. Sanquis autem e vasis capillaribus prodiens quali-

2. Perperam affirmatum est, haemorrhagiam semper congestione et hyperaemia organi affecti praecedi, et in hoc molimine haemorrhagico characterem haemorrhagiarum essentialem consistere. Ubi sanquis valde tenuis occurrit, ut in scorbuto, ubi vasa in continuo laesa sunt, ut in pulmone phthisicorum, hoc stadio prodromorum non opus est, ut haemorrhagia oriatur.

Activae haemorrhagiae, quae congestionibus innituntur harum phaenomenis praeceduntur, quae sunt: Abnormis excitatio nervorum in organo affecto, pruritus, tensio, sensus ponderis, calor, pulsatio; in partibus externis turgor, rubor, calor auctus, in organis secretioni dicatis saepe secretio uberior, in membranis mucosis promanatio fluidi serosi, non raro autem etiam secretio imminuta, functio magis minusve turbata. Pari tempore etiam anaemia antagonistica in omnibus organis a concentrationis sanquinis loco remotis intrat; imminente haemorrhagia organorum internorum adhuc ante sanquinis effusionem horripilatio, horror, frigus extremitatum et cutis externae pallor, praeterea circuli assymetria pulsu tenso, duro, celeri, saepe dicroto sese manifestat.

Durante fluxu pulsus passim mollis et lentus evadit. Praeterea quaelibet haemorrhagiae species pro sede diversa (v. g. haemorrhagia pulmonum vel ventriculi) diversis designatur prodromis, quae tamen hic locorum describi nequeunt.

(Stadium prodromorum jam brevius, jam longius est, ita ut haemorrhagia non raro solummodo praeteriens eruptio lateralis congestionis seu hyperaemiae sit.)

3. Symptoma peculiare morbi, fluxus sanquinis ipse est, dum externe comparet. Ab initio plerumque consue-

---

tate mox magis arteriosa, mox venosa excellere potest; ita ut haemorrhagiae ex organis supra diaphragmate sitis in isto sensu magis arteriosae, in organis vero infra isto positis, magis venosae soleant esse.

tus humor secretus sanquine tingitur, serius verus sanquis prodit. *)

Sanquis aut lente stillat (stillicidium sanquinis) vel rivuli instar effluit (haemorrhoea) vel vero torrentis instar effunditur (haemorrhagia) jamque flumine continuo jam interrupto.

Quantitas sanquinis effusi jam exigua est, jam vero plures libras excedit. Haemorrhagia dum est chronica et periodica, aegri saepe stupendam sanquinis copiam perdere possunt, quin periculum subeant; praecox et uno ictu intrans effusio ad quatuor sexve libras periculum fert. —

Sanquis effussus diversus est:

α) Quoad colorem; color laete ruber in subjectis juvenilibus, in haemorrhagia ex organis supra diaphragmate (in sphaera arteriosa) sitis, charactere activo, quum quam primum sanguis e vasis prodit extrinsecus adparet, quum influxui oxygenii (in pulmonibus) seu acidorum (in ventriculo) expositus est.

Profunde ruber, bruncus, ater econtra sanguis plerumque est, ubi contraria occurrunt; in individuis senioribus in haemorrhagiis e sphaera abdominali (venosa) charactere asthenico, ubi sanquis longius in cavo quodam stagnavit, ubi influxui substantiarum in quibus materia carbonica praevalet (v. g. bili) expositus erat.

Sanguis effusus porro merus est, vel vero diversis aliis materiis contaminatus, uti sunt: aër (sanguis spumosus) mucus, saliva, bilis (α'ιμα μελαν) faeces, pus, ichor, concrementa lithiaca, hydatides, materies tuberculosa, canceratica, urina etc., unde qualitas ejus vario mutatur modo. Denique sanguis effusus vel fluidus est, vel coagulatus (post longiorem moram) interdum speciem canaliformem assumit, jam citius jam serius, jam plane

---

*) Hoc secretum an alias mutationes iniverit, non dum est compertum.

non coagulatur modo crusta fibrosa tegitur, modo dissolutus, foetens; modo saporis acidi, dulciusculi, amari est et sic porro.

Haemorrhagiae inter somnum intrare amant; scimus pari modo etiam sudores et menstrua inter somnum copiosius promanare.

4. Si effectum haemorrhagiarum in organa adfecta proximum indagaveris, invenies:

a) Organon congestiva seu hyperaemica haemorrhagia correptum nimia sanquinis copia liberari posse; — haemorrhagiam sequitur levamen, phaenomena morbosa evanescunt. — Aeger qui dispnoea laboravit, post pneumorrhagiam pectus levatum sentit, post epistaxim cephalalgia et obnobilatio sensorii disparent, febris sthenica mitigatur euphoriae universali locum cedens.

b) Vel vero organon sanquinis effusione statu congestivo seu hyperaemico non deliberari, qui imo, favente orgasmo haemorrhagico orto, ad altiorem evehitur gradum; — fluxus perdurat, interruptim renovatur; vel vero in inflammationem abit hyperaemia.

c) Effusionem sanquinis extus non contingere, sed organa opprimi; — functionis turbatio tunc altissimum adtingit gradum, denique in paralysim abit; pro exemplo sunt: oppressio et suffocatio bronchis sanquine obrutis, apoplexia post haemorrhagias cerebri.

d) Sanquinem partim extus effundi, partim in vicina organa infiltrari, unde oedema haemorrhagicum oritur, quod itidem functiones organorum vario modo turbat.

Character anatomicus.

1. Ubi congestio seu hyperaemia stadium prodromorum haemorrhagiae effecerat, status anatomicus organi correpti ab illo, quem congestio et hyperaemia producit, non differt. Rubor et injectio a colore roseo in caeruleum et nigro-atrum variant, secundum Schoenlein rubor

laetus esse solet in organis, ubi arteriae praevalent, profundior vero in organis, ubi venarum numerus major, a rubore inflammatorio rubor haemorrhagicus eo differt, quod hic pressioni cedit, ille non cedit.

Haemorrhagia ex dyscrasia, e desorganisatione etc. exorta, charactere anatomico hujus pressionis fundamentalis conjuncta est. Interdum organon haemorrhagia adfectum sanquine destitutum est, pallet et injectione sanquinea caret, ita v. c. in haemorrhagia cerebri, bronchorum, ventriculi, intestinorum etc.

2. Postquam effusio sanquinis contigerat, haec observantur:

a) Sanquis effusus invenitur in superficie canalium, membranarum, in cavis, in parenchymate; sanguis saepe coagulatus formam strati organici adipiscitur, occurrit destructio et laceratio parenchymatis vario gradu.

b) Organa vicina sanquine mox aequaliter et diffuse imbibita, mox maculosa et ecchymotica adparent. Pars telae a loco haemorrhagiae remota sero infiltrata est, tela sanquine infiltrata hic pressione elici potest.

c) Interdum, nec tamen saepe vasa rupta sunt; — pleraeque haemorrhagiae exsudationi e vasorum capillarium integris parietibus originem debent.

d) Reliqua organa post haemorrhagiam uberiorem statum anaemicum prae se ferunt; in cavis membranarum serosarum (pericardii, pleurae) saepe serum effusum invenitur, intestina colorata, emollita sunt, vasa cerebri sola si cum ceteris comparaveris, magis repleta deprehendes.

3. Elapso aliquo post haemorrhagiam temporis spatio, scena mutatur. In cavis reclusis, unde sanquis non potuit extus effundi, atrum coagulum sero innatans reperitur, in parenchymate serum a coagulata haemorrhagiae producti parte sese separans, oedematosam infiltrationem producit. Tunc in partibus vicinis, in parenchymate, hy-

peraemia, exsudatum in lucem prodit, quod superficies serosas, quoad adspectum villosas et scabras reddit vel strata pseudomembranosa gignit, in textubus parenchymatosis extravasatum pseudomembranis tamquam capsula inclusum a cetera organi parte separatur. Extravasatum pro parte absorbetur, color coaguli laetior evadit, denique luteus, denique plane disparet, parietes capsula concrescunt et cicatricem formant.

Reactio haemorrhagiarum ad organismum.

1. Reactio organismi in sanquinem effusum, — reactio localis. Extravasatum, nisi statim extus prodierit, tamquam irritamentum in telas agit, cum quibus est in contactu, actio reflexiva sic orta (tussis in pulmonibus, emesis in ventriculo, motus peristalticus auctus in canali intestinali, stranguria in vesica urinaria, contractiones in utero) expulsionem sanquinis accumulati efficere valet. In organis e quibus sanquis eliminari non potest, functio aut impeditur (coma et paralysis in cerebro) aut nimiopere excitatur (deliria, convulsiones, spasmi tonici in haemorrhagiis cerebri). Quodsi hac actione reflexiva sanquis non amovetur, tum in organis circumdantibus, continuo irritamento expositis vegetativa reactio oritur, quam inflammationem vocamus, qua partes irritatae irritamentum non amovendum assimilare conantur, unde origo diversorum pathematum consecutivorum: suppuratio, induratio, pseudoplasiae. In organis nobilibus dicit Hufeland, atque si rexis vasorum comitatur haemorrhagiam, haec semper tamquam vulneratio est consideranda, omnesque hujus sequelas, inflammationem, extravasatum, indurationem, suppurationem secum ferre potest.

2. Actio universalis haemorrhagiae. Haec diversa est, prouti haemorrhagia sive acuta, sive chronica fuerit. Necesse est, ut distinquantur reflexus hae-

morrhagiae qua tali pertinentes, ab iis, quae a statibus pathologicis haemorrhagiam causantibus producuntur. Sic congestio in pulmonibus febri sthenica sociata esse potest, — oritur haemorrhagia — si eo in casu febris continuat, haec non est reactio contra haemorrhagiam, sed utraque ut haemorrhagia ita febris sunt coëffectus causae ejusdem.

a) Proximus effectus haemorrhagiae vehementis et subitaneae est anaemia acuta, livor cadavericus, pallor labiorum, linquae, frigus extremitatum, pulsus minimus, abolitio sensuum, sudor frigidus in fronte, tremores extremitatum, angustia praecordiorum, collapsus faciei, syncope. Cuncta haecce phaenomena anaemiam extra dubium non ponunt, saepe nimirum post minorem quantitatem sanquinis amissam effectus terroris sunt. Syncope oritur ex cessatione irritamenti sanquinis ad actionem cerebri et medullae spinalis necessarii, unde cessatio innervationis saepe perfecta asphyxia et paralysis; saepe innervatio dysharmonica, deliria, spasmi, vomitus etc.

Haec syncope aut lethalis evadere, aut vero haemorrhagiam stagnando salutaris fieri potest.

Ut syncope ocyus, seriusve intret, non solum a quantitate sanquinis amissi et a celeritate ejusdem effusionis, sed etiam a constitutione aegri dependet; ita ut individua plethorica et macilenta, item feminae amissis demum duabus tertiis partibus totius sanquinis in organismo copiae syncope et asphyxia corripiantur, individua vero crassa et pinquia vix quarta imo octava sanquinis parte amissa syncoptici et asphyctici reddantur. (Stark).

b) Haemorrhagia sedata mox reactio quaedam universalis, praecipue in individuis juvenilibus sese evolvit, lapso post haemorrhagiam aliquo tempore temperatura cutis altior, pulsus plenior, undulans evadit, cardiopalmus, pulsatio arteriarum temporalium et Carotum, congestiones aliaque incitationis universalis phaenomena, ce-

phalalgia, agrypnia, delirium, photophobia, aurium susurrus intrant. Haec phaenomena brevi post haemorrhagiam praecipue vigent. Paulatim tamen decrescunt elapsis vero aliquibus diebus evanescunt. Si de causa horum symptomatum quaeris, eam in aucta irritabilitate invenis, quae nimirum eo major redditur, quo minor energia organismi ob sanquinem amissum evadit, vel minimum irritamentum alacrem, vivacem sed non perdurantem reactionem provocat, et jam consueta irritamenta vitalia in illo auctae irritabilitatis statu actiones reflectentes inusitatas, spasmodicas interdum provocant, imo vel congestionis et haemorrhagia recidivae causa esse possunt. Tali in casu proclivitas ad congestiones eo major observatur, quo majorem aeger copiam sanquinis amittit, quo magis itaque facultas organismi ad renisum exhauritur. — En novum reactionis specimen, influxus potius destructivi quam salutaris.

Aetiologia et Divisio haemorrhagiarum.

Haemorrhagiae distinqui possunt:

a) in haemorrhagias cum laesione mechanica vasorum, — vulneratione, rhexi etc —; huc pertinent haemorrhagiae per rhexin, diabrosin, diaeresin ab antiquis statutae.

b) in haemorrhagias sine mechanica laesione vasorum, processu organico — dynamico —, transsudatione secretione productas.

Universum systema vasorum in se reclusum est, nec arteriae, nec venae alicubi ostiis patent, uti olim creditum est. Quod factum; recentioribus indagationibus confirmatum, nullum dubium admittit, quin in unaquaque haemorrhagia, ubi mechanica vasorum laesio deest, sanquis non aliter ac in secretione elementorum secretitiorum contingit, per parietes vasorum clausorum exsudetur. Probatur id processu menstruationis. In feminis tempore menstruorum emortuis vasa uteri sanquine turgentia, nullibi autem lae-

siones reperiuntur; compressione substantiae uteri ex ejusdem interna superficie sanquinem guttatim extricare fas est; talis imbibitio sanquinolenta telarum etiam in haemorrhagia pathologica obtinet, nec vel accuratissimae inquisitioni, erosionem sive laesionem vasorum alicubi detegere licet.

Adfinitas processus secretorii hujusqne haemorrhagiae speciei exinde porro manifesta redditur, quod fluidum extricatum saepe nonnisi sanguini simile, alterave aut altera partium sanguinem constituentium destitutum est. Sic jam sanquis menstruorum fibrina caret, sic globuli sanquinis (haematin) raro ibi inveniuntur, ubi rhexis vasorum non adest.

Ulteriora argumenta, quibus Starkius haemorrhagias et secretiones sibi congruas esse evincere studet, sunt:

1. Haemorrhagiae continuo cum secretionibus conjunctae et crebro earum vicariae sunt.

2. Illae saepe in secretiones auctas, hae autem in haemorrhagias transeunt, uti e. g. in lochiis est observare. Eadem ratione sputa catarrhosa in cruenta, et haec vice versa in mucosa abeunt, haemorrhoides in blennorrhoeam recti transmutantur. Nec non in vulneribus hic transitus conspicuus est. Phlegmasiae, quas numquam non secretiones sequuntur, crebro haemorrhagias producunt et sanquis tum semper cum productis inflammationis secretivis mixtus occurrit. (Exsudatum haemorrhagicum.)

3. Remedia secretiones augentia magna dosi porrecta haemorrhagias cient v. c. salivantia, purgantia, diuretica etc.

4. Exinde demum, quod haemorrhagiae criticae evadere possunt, quod detractionibus sanquinis artificialibus non penitus substitui queunt, quod post ansas externas v. c. post usum vini, exaestuationem etc. non immediate intrant, sicuti, quod periodice adparent, denique quod influxui pathematum animi non raro obtemperant, interna

illarum cum veris secretionibus affinitas elucere videtur. (Stark Pathologia universalis pag. 1063.)

Conditio fundamentalis haemorrhagiae secretivae alterationibus partium aut solidarum aut fluidarum organismi, aut simul ambarum innititur.

Oritur quippe haemorrhagia:

1. Ex adaucta tensione vitali et attractione organi affecti — ex adaucta copia et turgescentia interna sanguinis-Haemorrhagia activa.

2. A relaxatione vasorum partis affectae, — ab attenuatione, qualitate colliquativa, plastica sanquinis-Haemorrhagia passiva.

Causae his conditionibus subjacentes vel topice agunt, vel vero universum systema afficiunt. Tensio organi augeri potest congestione, inflammatione, periodo quadam evolutionis, concitatione antagonistica, sympathica, irritamento quodam externo, quod amoveri nequit, nervorum erethismo. Aucta sanquinis copia et turgescentia, omni re, quae plethorae et congestioni favet, vel oppressione secretionum habitualium oriri potest. — Relaxatio vasorum est effectus actionis nimii caloris, morborum debilitantium, aetatis provectae, congestionis, hyperaemiae, haemorrhoeae habitualis saepe revertentis. Tenuis et parum plasticus evadit sanquis, post nimias eliminationes in morbis discrasicis v. g. Scorbuto.

Differentiae haemorrhagiam activam inter et passivam.

Haemorrhagia activa pro essentia sua ex irritamento quodam, sive interno sive externo prodit.

Haemorrhagiae passivae genesis tali irritamento non indiget.

Illa plerumque ex adpulsu sanquinis versus certam eamque circumscriptam corporis partem oritur.

Haec frequentius originem ducit e dispositione qua-

dam universali partium solidarum fluidarumve, unde in pluribus partibus saepe simul adparet, praecipue in illis, quibus laxior et cellulosa structura est, quae vasis abundant, vel qua organa excernentia extus patent.

Haemorrhagiis activis praeprimis individua sanquinica, plethorica, robustá, laute viventia, spirituosis indulgentia, juvenilia sunt obnoxia. Causae excitantes hic ad irritamenta referuntur, uti: animi affectus, exaestuatio, suppressio fluxuum sanquinis habitualium et sic porro.

Haemorrhagiis passivis corripiuntur subjecta debilitata seniora, constitutionis laxa, leucophlegmaticae, quorum organismus morbis anteactis, pravo victu, affectibus animi deprimentibus, assiduis ut corporis ita animi laboribus exhaustus est. Dyscrasiae et certae aëris mutationes eosdem effectus, exserunt.

Haemorrhagiae activae praesertim tempore vernali occurrunt, ubi universum systema vasorum in evolutione, ut ita dicam ascendete versatur.

Haemorrhagiae passivae frequentiores sunt tempore autumni et aestatis.

Fluxus cruenti e sphaera organorum respirationis arteriosa activo plerumque charactere insigniuntur

Fluxus cruenti e sphaera venosa abdominali crebrius passivum characterem prae se ferunt,

Illos passim praecedunt prodromi (congestio, hyperaemia.

His molimen haemorrhagicum congestivum semper fere deficit.

In haemorrhagia activa temperaturum cutis altiorem habes, pulsum plenum, duriusculum, qui durante fluxu mollior et lentior evadit.

In haemorrhagia passiva pulsus parvus, vacuus, facile comprimendus est, durante fluxu magis semper vacuus et celerior evadens.

Sanquis effusus illius coagulatur et persaepe crusta fibrosa tectus adparet, universim sanquini phlogistico similis.

Hujus autem sanquis eliminatus non coagulatur quoad colorem est profundus, violaceus, saepe ater, vel etiam laete ruber, tum vero quoad consistentiam aquosus, dissolutus, fluxuque diu durante vel repetito liquori a carne abluta similis.

Haemorrhagiae activae torrente interrupto, repente vel periodice contingunt;

Haemorrhagiae passivae saepius pedetentim sese evolventes, magis continuae sunt.

In illis phoenomena concomitantia congestionis et turgoris ratione fluxus recedunt.

In his symptomata concomitantia debilitatis et exhaustionis rationi durationis fluxus progrediuntur.

Illa facilius sedantur, non raro vel sponte desinunt. Silente fluxu aeger saepe levatum sese persentit.

Hae plerumque difficillime coërcendae sunt, silente fluxu aeger pejus se habet.

Hae distinctiones diagnosticae, quamquam acuratissimae videantur, in praxi tamen non raro non sufficiunt; multae speciem stheniae prae se ferunt haemorrhagiae nec tamen alia, quam irritanti methodo sunt curandae, et vice versa. Praesertim autem in dijudicando casu concreto id probe respiciatur, quod status organi topico sanquinis fluxu correpti saepe discrepat a statu universali, ita ut hic activus, ille passivus, sive contra ille activus hic passivus esse possit. Therapia tali in casu κατ εξοχην norman status universalis sequitur. Sic e. g. in haemorrhagiis a vehemente concussione exortis, organon ipsum commotione debilitatum est, simul autem vehemens systematis vasorum concitatio universalis adest. — Haemorrhagiae, quae ab initio activae fuerunt, in decursu, perdita majori sanquinis copia, in passivas transeunt.

Cognitus est influxus systematis nervorum in secretiones in genere. Sicuti itaque analogiam inter secretiones et haemorrhagias jam superius manifestam reddere conati

sumus, nunc penitius cognitis haemorrhoearum causis iterum comperimus, influxum irritationis nervorum ipsorumque actionis reflexivae in illas provocandas negari non posse, unde novam et peculiarem haemorrhagiarum varietatem statuere fas est, nempe haemorrhagiam nervosam seu erethisticam. Fluxum sanquineum irritatio nervosa nonnunquam manifesta praecedit, uti: animi affectus, ira, terror; in feminis hystericis haemorrhagia eodem modo ac caetera hysteriae symptomata nervosa celeriter sedem mutat; — globus hystericus jam versus ventriculum ascendit, — oritur haematemesis; iste jam ad pulmones surgit — sequitur haemoptysis; nec rarius in metrorrhagiis fluxus cruentos atque affectiones nervosas alternantes conspicere fas est. Saepe fluxus eruentus silet, dum aliae systematis nervosi partes corripiuntur; in haemorrhagiis sympathicis, antagonisticis, metastaticis, periodicis, intermittentibus, systema nervosum momentosissimam exserit actionem.

Aetas in sedem et characterem influit haemorrhagiarum. Hae talia quippe praecipue adgrediuntur organa, ubi pro aetatis gradu attractio sanquinis aucta est; plethora infantum cephalica epistaxin ciere diligit, plethora juvenum thoracica haemoptysin producit, plethora abdominalis et pelvica aetatis mediae haemorrhagiis ventriculi, intestinorum, recti, uteri favet; aetati provectiori plethora relativa quorundam organorum, difficilisque dilatatio vasorum ratione sanquinis copiae in iisdem circulantis, desorganisatio et friabilitas parietum vasorum peculiaris, est, inde faciles haemorrhagiae (praesertim in cerebro) per rhexin. — In infantibus haemorrhagiae orgasticum crebro, in juvenibus et viris activum, in senibus asthenicum assumunt characterem; attamen oriuntur etiam in senibus haemorrhagiae a plethora topica (constrictione vasorum luminis) praesente aequo tempore asthenia corporis universali.

Sexus sequior valde obnoxius est haemorrhagiis. Ansam praebent: fluxus periodicus menstruus physiologicus et normalis, processus congestionis et plasticitatis sub graviditate et puerperio, fluxus cruenti a partu dependentes. Accedunt: structura laxa vasorum organismi muliebris, versatilitas systematis nervosi, hujusque influxus ad excitandum sanquinis orgasmum. His perpensis facile explicatur frequentia haemorrhagiarum antagonisticarum, vicariarum, nervosarum, quae ob minorem corporis feminei energiam in asthenicum characterem admodum proclives visuntur.

Dispositio corporis feminei in fluxus cruentos jam a tenerrima aetate manifestari et tum per omnem vitam manere potest, quam maxime conspicua vero in periodis revolutionum physiologicarum vitae sanquinis sese prodit, hinc tempore evolutionis pubertatis, menstruorum, sub actu partus, periodo climacterica. Non raro a revolutione climacterica proclivitas habitualis in congestiones et haemorrhagias diu relinquitur, desorganisationique genitalium internorum aliorumque organorum ansam praebet. In feminis praeprimis uterus est haemorrhagiae sedes, haemorrhagiae vicariae ex omnibus organis contingere queunt.

Longe minus est haemorrhagiis obnoxius sexus virilis, eaeque plerumque charactere activo, sthenico insigniuntur.

Periodi evolutionis haemorrhagiarum genesi praecipue favent. Unde in neonatis et sub dentitione, ubi membranae mucosae tractus intestinalis evolvuntur et maxima actione vitali excellunt, fluxus cruenti intestinales crebro oriuntur; influxus evolutionis sexualis jam superius mentio facta; pubertas ad pneumorrhagias disponit; evolutio praeponderantiae vitae sanquinis venosae aetatem mediam ad melaenam et haemorrhoides propensam reddit.

Dum tempore evolutionis sanguis ad organa gradu ascendente sese evolventia propellitur: tempore involu-

tionis ea potius organa haemorrhagias perpetiuntur, ad quae ab organis sese revolventibus sanquinis impulsus dirigitur; hinc e. g. sub obliteratione partiali vasorum cujusdam organi (cerebri) ad alias ejusdem partes.

Inter temperamenta praeprimis sanquineum ad haemorrhagias disponit, praecipue dum structurae vasorum laxiori et notabilli systematis sanquinei mobilitati conjunctum est.

Dantur familiae, quae ob haereditariam systematis vasorum imperfectam structuram (tenuitatem, permeabilitatem abnormen parietum vasorum, defectum membranae horum mediae?) obnoxiae esse videantur; huc pertinent familiae idiosyncrasia haemorrhagica, (haemophilia) insignes. Hereditariae porro videntur esse haemorrhagiae secundariae ex aliis morbis hereditatis exortae, uti v. c. fluxus haemorrhoidalis ex haereditata abdominis obstipatione, haemoptysis ex haereditaria affectione pectoris.

Eo in organo, quod secundum functionem suam physiologicam, vel ob morbum aliquem, una vel iterata vice haemorrhagiae sedes fuerat, ansa nova, non raro minima data, haemorrhagia reintrat, haec denique habitualis fieri, et ut ita dicam normae valetudinis individualis tam peculiaris reddi potest, ut quam primum fluxus cruentus habitualis desideretur vel opprimatur, morbosae affectiones alius generis in scenam proveniant, eo tempore, quo hic fluxus cruentus imminet, phaenomena plethorae intrant, quibus evacuatio sanquinis critica evadit. Quodsi sanquis loco consueto eliminari nequit, aliam sibi per organa laxa, sanquine scatentia viam quaerit, qua ratione haemorrhagiae vicariae et antagonisticae oriuntur. Simili modo aliarum (non cruentarum) secretionum (e. g. sudoris, diarrhoeae, suppuratio habitualis) suppressio agere potest, quare non raro haemorrhagia et secretio alternates visuntur. Huc accedit genesis haemorrhagiae per consensum. Organon quippe aliquod congestione vel erethis-

mo corripitur, nec tamen fluxum cruentum experitur, sed per consensum in aliud agit organon, atque in ipso veram excitat haemorrhagiam; hoc modo saepe oriuntur fluxus haemorrhoidales et menorrhoici ex affectione aliorum organorum, fluxus cruenti symptomatici in morbis febrilibus, epistaxis in morbis lienis, hepatisve.

Certis occupationibus opificiisve certa momenta redduntur efficacia, quae haemorrhagias ratione jam mechanica jam dynamica producere valent.

Haec tamen conditio praedispositio dici non meretur. Huc pertinent: Aestus opificum ope ignis laborantium, coquorum, intensio pulmonum penes cursores, laesiones mechanicae onera pertantium.

Plethora, congestio omniaque, quae his producendis sunt paria, victus stimulans, potus spirituosi, excitantes, ad haemorrhagias disponunt, dataque dispositione eas procreare valent. Excitatio usu quotidiano fluidorum calidorum, potus arabici et theati, a Zimmermann qua causa haemorrhagiarum apud homines otiosos et vitam molliorem ducentes est considerata.

Valet porro haemorrhagias excitare immodica irritatio organorum secernentium et excernentium; sic diuturna suctio e mammis muliebribus loco lactis sanquinem elicere potest; irritatio membranae mucosae tractus intestinalis ope drasticorum enterorrhagiam cruentam gignit; sic metrorrhagia coitu immodico provocatur nec non etiam in viris loco seminis sanquinem effundi observarunt. Pari modo etiam irritatio agente nimia intensione virium; excitatione sanquinis per cursum, saltum, nisum sub partu, alvique depositione etc. momentum excitans haemorrhagiae evadere potest. Laesionibus externis concussionibusve vasa rumpi et sic haemorrhagias traumaticas provocare possunt. Nonnullae substantiae externae in organismum susceptae in certis nonnisi organis statui congestivo excitando pares sunt, qui in haemorrhagiam abire potest,

sic emenagoga, aloë, sabina in uterum; cantharides in renes; mercurius sublimatus corrosivus in pulmones agunt et sic porro.

Impedimentis mechanicis circuli sanquinis hyperaemiae et eum hac haemorrhagiae ansa ferri potest. Ligando venam portarum Boërhaave in cane enterorrhagiam provocavit. Compressione arteriarum cruralium menorrhoea elicitur. Fluxus haemorrhoidalis saepe nonnisi mechanica obliteratione venarum superiorum exoritur, uti in gravidis pressione, quam exercet uterus dilatatus; haematemesis, melaena similibus causis uti pressione tumorum in venas majores gigni queunt; nonnullis pneumorrhagiis vitiis cordis copulatis impedimentum mechanicum circuli minoris tamquam causa subjacet; in cerebro per refluxum sanquinis venosi mechanice impeditum, colli constrictionem, strangulationem, suffocationem potest produci extravasatum.

Fluida et solida corporis et ad se invicem et ad sic dicta media externa quoad pressionem reciprocum statum aequilibrii servant; deviatione mediorum externorum organismum ambientium aequilibrium hoc turbari potest.

Quo repentius mutatio accidit, eo facilius renisus vasorum debilium, impetui pressionis, cui vis reciproca sufficiens non reagit, expositorum superatur. Ex hac causa tempore repentinarum et majorum barometri (sit venia verbo) mutationum saevientibus aequinoctii et solstitii tempestatibus, aestu vel frigore vehementi repente exorto, in multis simul individuis epidemica quasi morbi grassatione haemorrhagias exoriri observamus.

Reil haematuriam epidemicam vidit, qua vel sanissimi corripiebantur; Josephus Frank haemorrhagias epidemicas in genere tum observavit, dum athmosphaera vel siccitate vel humiditate nimia excelluit.

Montes altos ascendentibus sanquinem e naribus, ore et auribus promanare sat notum est. Homines repente in aquam praecipitati pneumorrhagiam saepe experti sunt.

Junod apparatum quemdam construxit, cujus ope imminuta in corporis superficiem pressione atmosphaerica menorrhoea est provocata et sic porro. Sine dubio etiam ratio electricitatis in aëre atmosphaerico ad provocandas haemorrhagias epidemicas facit.

Haemorrhagiae sic dictae cacochymicae a venositate praevalente, a dyscrasia arthritica, scorbutica, a depravatione sanquinis per nutrimenta inepta, spirituosa, venena sive vegetabilia sive animalia contagio typhi, pestis, febris putridae, aliave ab epidemica seu dyschymotica crasi originem ducere queunt. Hujus originis haemorrhagiae plerumque sunt passivae.

Decursus et terminationes haemorrhagiarum.

Morbus aut unico fluxu sanquinis terminatur, aut vero fluxus reiteratur, at quidem jam intervallis irregularibus arhythmicis, jam rhythmicis periodis, aut certo diei tempore, aut pausis plurium dierum, hebdomadum, mensium. Qua causa hujus rhythmi agnoscuntur vel influxus systematis nervosi, vel morbus typicus haemorrhagiam producens, uti e. g. anomaliae menstruorum, haemorrhoidum; vel denique oscillationes rhythmicae vitae sanquinis ipsi peculiares.

Quum in sanitatem abit haemorrhagia, ea cessante residua coagulata e cavis extus patentibus sensim protruduntur; extravasata interstitialia resorbentur, exsudationibus praecluduntur et processu vegetationis in telis ea circumdantibus ad altiorem mox gradum provecto ulterius transformantur. In membranis mucosis fluxus sanquineus in auctam secretionem (catarrhum) abit. Crises, quibus haemorrhagias judicari dicunt, non his sed aliis morbis haemorrhagiarum vel causas vel complicationem sistentibus, sunt adscribendae.

Reactio vegetativa localis ad extravasatum amovendum sese evolvens, fines justos transgredi et in phlogosim abire potest. Pars organi sanquinem plorantis inflammatione corripi, et in partibus vicinis fluxus perdurare potest, sic v. g. in pulmone, vel denique phlogosis et haemorrhagia alternare possunt.

Coagula cruenta, hyperaemiae aliaeque alterationes materiales uti: depositio lymphae plasticae tamquam haemorrhagiarum producta in organo affecto remanent, passionumque consecutivarum, tuberculorum, pseudoplasmatum degenerationum carcinomatosarum, suppurationis, ulcerationis focum praebent.

Magna et iterata sanquinis evacuatio anaemiam universalem, cum hujus symptomatum jam descriptarum cohorte producere solet. Aucta irritabilitas, quae ei plerumque copulatur, cardiopalmum, dolores trahentes in cervice et capite gignit, non prius cessantes, usquedum sanquis amissus fuerit restitutus. Caveat medicus, ne haec symptomata congestioni vel plethorae adscribat, cardiopalmum vitio cordis organico tribuat et methodo deprimenti utatur; ut enim vel ultimam sanquinis guttam sacrificet, non tamen ea syptomata amovebit.

Iteratis haemorrhagiis haematosis tantopere debilitatur, ut sanquis in humiliori evolutionis gradu sistatur, quantitate normali cruoris et fibrinae privetur, nihilque nisi serum quasi rubre tinctum exhibeat. Partes solidae contractilitate normali destituuntur ita ut hoc fluidum serosum per vasa capillaria ubivis exsudetur; oritur inde hydrops passivus quin imo et scorbutus.

Sic haemorrhagia ipsa nova haemorrhagiae causa evadere potest, quum sanquis eam qualitatem adipiscitur, qua ad vasa penetranda peridoneus redditur.

Andral epistaxis excessivae mentionem facit, cujus causa parvae sanquinis effusiones in tota cutis superficie

ortae sunt, quae tamen sanquine resarcito mox iterum evanuerunt.

Mors denique accidit vel exhaustione, vel paralysi organi ad vivendum necessarii (effusione sanquinis in parenchyma pulmonum, in cavum pleurae, pericardii, apoplexia (vel morbis consecutivis) hydrope, febri depascente e. s. p.).

Prognosis.

Quum haemorrhagia multis in casibus salutarem reactionem in alios status morbosos exserat, et tum opprimenda non sit, magni inde momenti videtur distinquere haemorrhagias salutares (criticas) et perniciosas (nocivas).

Salutaris est haemorrhagia:

a) Evacuatione alicujus sanquinis quantitatis in statu congestivo, plethorico, febri sthenica, praecipue in subjectis juvenilibus, robustis.

b) Derivando impetum vel superabundantiam sanquinis, sive universim actionem pathologicam aliam ab organo nobili ad ignobilius v. g. a cerebro, a pulmonibus ad rectum, uterum, ad membranam mucosam narium, a vena portarum ad venas recti.

c) Salutares et necessariae esse possunt haemorrhagiae, quae alius cujusdam morbi vicariae sunt, ubi morbus primarius imminui conspicitur, vel saltem non debilitat v. g. fluxus cruenti in amenorrhoea, in vertigine e. s. p.

d) Salutaris est haemorrhagia, ubi suspici potest, sanquinem evacuatum materiis excrementitiis deformatis esse impraegnatum, quae remanentes in circulo nil nisi detrimentum organismo ferrent. Tali in casu haemorrhagia actus depurationis vere nuncupatur, exiguaque sanquinis evacuatio spontanea plerumque magis prodest, quam ejusdem vel majoris etiam quantitatis depletio artificialis.

His potissimum momentis diagnosis et distinctio haemorrhagiae salutaris criticae dirigitur.

Borden e pulsu arteriarum criticas haemorrhagias imminentes praesagire docet: pulsum fortitudine et renitentia excellere, dicrotum esse dicit, dum haemorrhagia e partibus superioribus, — subintermittentem vero, dum eadem ex partibus inferioribus contingit. In phlogosibus secundum Goeden haemorrhagiae criticae in stadio acmes semper horripilatione et frigore annuntiantur. Certissimum autem haemorrhagiae salutaris documentum est inde producta sublevatio et imminutio symptomatum morbosorum.

Perniciosa vero fieri potest haemorrhagia:

a) Quum sedem sibi eligit in organo nobili, cerebro, medula spinali, pulmonibus, ventriculo, quum in cava serosa viam sibi aperit.

b) Subsequente inflammatione organorum admodum irritabilium.

c) Dum nimia fit.

d) Quum fluxus cruentus ex asthenia organismi universali oritur, haecque illo augetur, unde fit, ut haemorrhagiae passivae semper infaustiores sint activis. In haemorrhagiis perniciosis (symptomaticis etiam dictis) cetera phaenomena morbosa cum fluxu sanquinis non imminuuntur, sed crescunt.

Praeterea alia adhuc momenta in prognosin influunt: Haemorrhagiae e laesione mechanica vasorum, vel e vasis oriundae partium desorganisatione destructarum (in phthisi, carcinomate) majori periculo sunt conjunctae, quam illae, quae nonnisi actionis secretivae alteratae effectum sistunt. Fluxus cruenti e partibus externis, remediorum mechanicorum et stipticorum applicationi patentibus faustiores sunt, quam ex organis internis. Stillicidia sanquinis facilius feruntur, quam proruptiones subitaneae et praecoces. Individua juvenilia fluxus cruentos non raro sine detrimento perpetiuntur; aetate provectioribus quaelibet laticis vitalis eliminatio functionum impedimenta deprimentia adfert.

Dependet porro prognosis a causa haemorrhagiae sive facilius sive difficilius amovenda. Malis symptomatibus adnumerantur: convulsiones durante fluxu, sanquis aquosus non amplius coagulando aptus.

Therapia.

Primum in tractandis haemorrhagiis locum tenent: Indicatio causalis et haemostatica. Secundariae sunt: Indicatio symptomatica, indicatio propyxlactica et indicatio exituum.

Ante cetera quaestio debet decidi, an haemorrhagia universim opprimenda sit, nec ne. In illis casibus, ubi secundum illa, quae superius probata sunt, haemorrhagiam salutarem habere fas est, indicatur methodus exspectativa, quousque fluxus sufficiens videtur (dantur circumstantiae, sub quibus fluxus apte augeri possit) quousque fines justos non excedit, et quum in organo tali sedem habet, ubi detrimentum locale non timetur. Commendatur quies, situs corporis talis, quo congestio sanquinis ad organon correptum imminuitur, hoc ipsum, si licet, sublime tenetur (situs erectus in epistaxi, horizontalis in enterorrhoeis) ligaturae et quidquid pressionem exserere vel circulum impedire posset, seponuntur; diaeta refrigerans, blanda aegro porrigitur et omnia, quae naturae salutare molimen turbare valerent, amoventur.

Ubi fluxum moderari vel sistere necessarium fuerit, inquirendum est, an impleta indicatione causali simul quoque indicationi haemostaticae satisfiat nec ne, (eae methodi eaque remedia, quibus pluribus simul indicationibus satisfit, plerumque sunt praeferenda (vel ubi utriusque indicationis separatio requiritur, an vitalis indicatio postulet, ut haemostatica prae causali adimpleatur.

Accidit, ut causae haemorrhagiarum remotae vel dispareant, vel non amplius removendae evadant, hinc nec amplius objectum therapiae esse queant; v. g. laesiones, influxus atmosphaerici, disproportiones spatii vasorum

majorum etc. Accurata 'aetiologiae unius cujusque casus concreti disquisitio medico attento simul remedia idonea, indicationi causali respondentia monstrabit.

Summi momenti in therapiam exserit character aut activus (sthenicus vel nervosus) aut passivus haemorrhagiae.

Character activus sthenicus postulat methodum antiphlogisticam, secundam normam in phlogosibus statutam. Amotio plethorae et congestionis haemostaticae simul agit. Non raro depletiones sanquinis per phlebotomiam in casu urgente usque ad manifestationem debilitatis circuli, usque ad imminentem lipothymiam, amplo vulnere, largo flumine efflagitantur. Phlebotomia congestionem minuendo et revulsiva simul ratione agit; praeliguntur passim venae brachiales, unde sufficiens sanquinis quantitas certissime et citissime est adipiscenda; solummodo ubi finis therapeuticus revulsionem versus inferiores corporis partes desiderat v. g. in haemorrhagiis ex oppressis menstruis, haemorrhoidibus, vena in pede secatur.

Depletiones sanquinis topicae momento vehementis haemorrhagiae non quadrant; idoneae nonnisi se exhibent tamquam remedium prophylacticum in haemorrhagiis habitualibus scopo revulvivo et ad tollendam hyperaemiam consecutivam haemorrhagiarum comitem.

Nec unquam in proxima organi congestione correpti vicinitate hirudines seu cucurbitae cruentae majori adhibeantur copia, quum inde excitata irritatio congestionem augere possit. Fracta in haemorrhagiis sthenicis plethora vel congestione ope sanquinis detractionis, hujus effectus remediis antiphlogisticis ceteris adjuvetur, interne porrigatur nitrum, sales medii, prae ceteris vero digitalis, quae circulum debilitat, in nervos, circulationis apparatus simulque in orgasmum nervosum compescendo atque urinae secretione adaucta derivando agit.

Ubi causa congestionis methodo revulsiva eget, adhibenda sunt rubefacientia, purgantia, diuretica, quibus jungatur diaeta antisthenica et summa quies tam somatica, quam psychica.

Sub nervoso - activo charactere haemorrhagiae depletiones sanquinis nonnisi summa cum cautela sunt instituendae, nam licet nonnumquam levamine coronentur momentaneo, frequentius tamen debilitas summa, febris hectica, hydrops easdem excipit. —

Summam sibi vindicant sub hoc nervoso orgasmo dignitatem: applicatio frigoris in lotionibus, fomentationibus, potulentis et enematibus frigidis, tum acida mineralia, praeterea medicamina sedativa, uti Opium et alia narcotica; Borax quam maxime laudatus, verum antihaemorrhagicum in hocce haemorrhagiae charactere sistit.

Ad remedia haemostatica quae utrique activo et passivo characteri respondent, referuntur: Ipecacuanha dosi refracta, Saccharum Saturni, Secale cornutum etc. Unice in haemorrhagiis passivis adstringentia sunt dirigenda: Admodum numerosa sunt haecce medicamina, quae tam sola, quam semet ipsi vario modo juncta adhibentur.

E numero horum Gallae quercus, Bistorta, Tormentilla, Ratanhia, Alumen, Gummi Kino, Catechu, Oleum Terebinthinae, Cortex Quercus, Praeparata ferri, Vitriolum Martis etc. praestantiora censenda.

In haemorrhagiis singulorum organorum quaedam medicamina specifica gaudent virtute, sic Murias Sodae Haemoptoe, fomenta frigida in testiculos, epistaxi, tinctura Cinamomi et Sabina Metrorrhagiae sistendae paria cernuntur.

Residua ex haemorrhagia irritabilitas systematis vasorum non Digitali aut aqua Laurocerassi, ast diaeta leni, restaurante, ad praeparata ferri pedetentim ascendendo tollatur.

In reconvalescentia origo haemorrhagiae, character

ejus sthenicus, nervosus, aut asthenicus therapiam dirigunt. In genere evitetur omnis in diaeta error, praecipue vero ingestio molis majoris ciborum; summopere evitentur irritantia fortiora, animi pathemata excitantia, aestus nimius aut frigus intensum et mora in locis hominibus justo plus refertis.

Ipsa quoque individua sanquine ditiora haemorrhagiis saepius repetitis in veram concidunt debilitatem, quae restaurationem organismi lento procedentem passu exposcit, cui inservit aër ruralis, itinera in regiones climatis temperati aequabilis, balnea frigida, diaeta quidpiam tonica, motus corporis non exaestuantes viribus adaequati, tandem tonica fortiora.

Frequenter haemorrhagia activa sanquinis evacuationes itentidem repetendas parcas exigit, ad praepediendam haemorrhagiae recidivam. Ast semper memores simus ejus dati experientiae abusu vaenesectionum tandem arte productam continuo adaugendam plethoram cum satellitibus suis, irritabilitate notabiliter adaucta, nutritione manea, orgasmis etc. produci.



THESES DEFENDENDAE.

I.

Nunquam haemorrhagia morbus substantivus, sed semper effectus aut symptoma alius.

II.

Non tantum in secretis, verum in ipso sanquine reapse adsunt acrimoniae.

III.

Datur plethora cacochyma.

IV.

Suprema omnis vitae particularis lex est: lex oppositionis dynamicae.

V.

Lipoma, Melanosis, Enchodroma, Scirrhus, fungus medullaris, fungus haematodes quoad essentiam haud differunt.

VI.

Diathesis lythiatica etiam endemice occurrit.

VII.

Caries und Necrose verhalten sich zu einander, wie Krankheit und Heilung.

VIII.

Feminis major in psychoses pronitas.

IX.

Praecauta inspiratio profunda et repentina, non vero multopere complicati apparatus ingressum aëris sub paracenthesi thoracis praepediunt.

X.

Relatio reciproca impeditas inter et vicariantes secretiones non semper materialis.

XI.

Tota homaeopathia consistit primo in diaetae moderamine, secundo in umbrosa i. e. nulla medendi ratione, tertio in coeca hominum fide.

XII.

. . . . aber tröstlich und höchst erfreulich ist die Bemerkung, daß bei allem Wechsel der Systeme, bei den größten Verirrungen der Schule sich noch immer der Sinn für wahre Kunst in den Gemüthern Einzelner erhält. (Hufeland).

XIII.

Tenotomia in Strabismo valoris relativi.

XIV.

Criseos productum non est ipsa materia peccans eliminata.

XV.

Nonnunquam ea est genii epidemici ratio, sub qua morbo normales crises vix, ast plerumque pseudocrises vel contingunt, vel contingere minantur.

XVI.

Pollemus medicaminibus nonnullis, quae specifica pharmaco-dynamica ratione erga certos nervos gaudent.

XVII.

Non omnis facie praevia partus artificialiter peragendus.

XVIII.

Hypertrophia textus aut organi cujusdam numquam in auctis omnibus ejusdem partibus constituentibus; ast nonnisi in aucto eidem proprio plasmate consistit.

XIX.

Non omne ulcus ex dyscrasia.

XX.

Gesunde Zähne und eine dauerhafte Gesundheit des Körpers hängen innigst zusammen.

